

Q. D. B. V.
DISPUTATIO THEOLOGICA INAUGVRALIS
ex illustri dicto

Rom. VIII, 26.

DE
GEMITV SPIRITVS
SANCTI,

Quam
ex decreto

Summe Reuerendæ Facultatis Theolo-
gicæ in Academia Ienensi,

PRAESIDE

VALENTINO Zeltchem/

S. THEOL. D. P.P.

PRO LICENTIA

Summos in Theologia honores & priuilegia
Doctoralia capeffendi,

ad diem XIX Maii A. O. R. M D C XCVII.

publico eruditorum examini subiiciet,

M. FRID. ERNESTVSKETTNERVS

hactenus Ducalis Informator Weisfenfelsensis, *N. J.*
nunc designatus Pastor & Superintendens *in Ep: ad Rom:*
Eccartsbergensis. *322.*

IENAE, TYPIS PAVLI EHRICHII.

Exeg.

C.
31,68

SERENISSIMO. PRINCIPI. AC. DOMINO

**DOMINO
IOHANNI. ADOLPHO
DVCI. SAXONIAE**

**IVLIACI. CLIVIAE. ET. MONTIVM. ITEMQVE
ANGARIAE. ET. WESTPHALIAE. LANDGRA-
VIO. THVRINGIAE. MARCHIONI. MISNIAE.
ET. VTRIVSQUE. LVSATIAE. COMITI. PRIN-
CIPALI. HENNEBERGIAE. COMITI. IN. MARCA.
RAVENSBERG. ET. BARBY. DYNASTAE.
IN. RAVENSTEIN**

*PRINCIPI. ET. DOMINO. SVO
CLEMENTISSIMO*

**DISSERTATIONEM. HANC. INAVGVRALEM
DE. SPIRITV. SANCTO**

HVMILLIME. DEDICAT. ET. OFFERT
**SIMVLQVE. LARGISSIMAM. SPIRITVS. SANCTI
GRATIAM**

PIE. ADPRECATVR

SVBIECTISSIMVS

AVTOR.



Pfalm. CXLIII, 'u.

רוּחַךְ טוֹבָה תִּנְחַנֵּי בְּאֶרֶץ מְשׁוֹר

PRAEFATIO.

§. I.



Vemadmodum *Epistola Pauli ad Romanos* grauisima, difficillima & praestantissima est inter Paulinas, quamobrem iure parua Biblia, clavis Theologiae, armamentarium & thesaurus Christianorum vocari potest, ita quoque quamplurima grauisima *dicta pentecostalia* continet, in quibus Theologi vires suas experiri possunt.

§. II. Enimvero facili negotio non solum Articulus de Spiritu sancto, sed omnes articuli Systematis Theologici suauis ordine ex hoc vnico libro deduci possunt. *Locus de Scriptura sacra c. I, 16. c. XV, 4. exstat. Agitur de notitia Dei c. I, 19. 20. de attributis Dei, de sapientia c. XI, 33. longanimitate c. II, 4. bonitate & zelo c. XI, 33. de Deitate Christi c. IX, 5. c. XIV, de Christi exinanitione & exaltatione c. VIII, 32. c. IV, 25. c. V, 10. de satisfactione*

A 2

c. VIII,

c. VIII. c. III, 24. de imputatione meriti Christi c. IV, 24. de officio regio c. XIV, 9. sacerdotali c. IV, 25. de prophetico c. I, 1. & miraculis v. 4.

§. III. *De Spiritus sancti procesione c. VIII, IX, X, de eius operibus diuinis, ut resurrectione c. VIII, 11. illuminatione c. VIII, 14. testimonio v. 16. effusione v. 23. c. V, 5. auxilio c. VIII, 26. intercessione v. 26.*

§. IV. *De prouidentia c. XI, 36. de peccato c. V, 12. 15. c. III, 23. de creatione c. IV, 17. de angelis c. VIII, 38. de iustificatione c. III, 28. & c. IV tot. de renouatione c. XIII, 12. de pœnitentia ibidem, de lege c. VII tot. de euangelio c. I, 16. c. X, 18. de predestinatione c. IX & c. VIII, 29. de imagine Dei c. VIII, 29. de perdita imagine c. V, 12.*

§. V. *De Sacramento baptismi c. VI, 3. 4. de sanguine in cœna c. III, 24. & traditione pro nobis c. IV, 25. de aduocato c. XIV. de ministerio Ecclesiæ c. I, 1. de Magistratu c. XIII, 1. de matrimonio c. VII, 2. de nouissimis, de conuersione Iudeorum c. XI. de resurrectione c. VIII, 11. de morte c. VII, 24. c. V, 12. de iudicio extremo c. II, 5. 6. de vita æterna c. VIII, 30. 21.*

§. VI. *Dicis: Hæc sciagraphia Theologiæ dogmaticæ est illata, non innata. Respondemus: Est simul innata. Conclusiones enim, quæ ex Scriptura sacra virtualiter per bonam consequentiam fluunt, æque sunt verbum Dei, quam si formaliter expressis verbis exstarent. Sane ipse Saluator conclusiones διανοητικῶς tantum, non ῥητικῶς in Scripturis contentas verbi diuini & Scripturæ nomine dignatur *Matth. XXII, 31.* Etsi igitur articuli fidei secundum omnes circumstantias in hac epistola non reperiantur, substantia tamen illorum reuelatur.*

§. VII. Fa-

§. VII. Fatemur Spiritus sancti scopum non fuisse systemata scribere, dedit tamen ideo Deus donum didacticum, ut dogmata fidei eruamus. Pulchre *Danbauerus in Hodof. p. 9. Sicut librum natura Deus homini dedit, variasque in eo sylvas, campos, montes, plantas promiscue creauit, hominique, ne otia retur, curam, culturam ordinisque digestionem reliquit, ita quoque librum Scripturae proposuit variis floribus refertum.*

§. VIII. His causis instigati *B. Hinkelmannus Theologiam Iobi*, Magnificus *Dn. D. Carpzouius Lipsiensis Theologiam Esaianam*, Summe Reuerendi Viri *Dn. D. Pfeifferus Pansophiam Mosaicam*, & *Dn. D. Maius Theologiam Ieremianam & Dauidicam* doctissime concinnarunt.

§. IX. Noster scopus non permittit, ut fusius Theologiam didacticam ex hac epistola demonstramus, de facili alias vniuersam Theologiam moralem & casuisticam in hoc ipso libro simul sitam esse ostendere possemus. Lubet saltem tempori inferuire iussuque summe Reuerendae Facultatis Theologicae dictum illustre *Rom. VIII, 26.* paucis examinare, & praestantissimae huius epistolae praestantiam ex hoc oraculo vberius cognoscere: Speramus autem nos Iliada post Homerum non scripturos esse, quia nullius recordamur, qui peculiari dissertatione *de gemitu Spiritus sancti* in hac Academia verba fecisset.

Textus Rom. VIII, 26. procul dubio inter Pauli *δυσνόητα* referendus, ita se habet:

Αὐτὸ τὸ πνεῦμα ὑπερβυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν
 σεναγμοῖς ἀλαλήτοις.

Verſio vulgata.

Ipſe Spiritus intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Tertullianus; ineloquis, Alii, ſuper intercedit, ſuper expoſtulat.

Verſio B. Lutheri.

Der Geiſt ſelbſt vertritt uns auffſs beſte mit unausſprechlichen Seuffzen.

CAPVT I.

propædeuticum, de ſcopo textus & epiſtolæ ad Romanos connexionem.

Thēſis I.

Scopus epiſtolæ ad Romanos eſt pacificatorius.

§. I. Scopus generalisſimus deſcribitur 2. *Tim. III, 16. Rom. XV, 4.* Scopus autem præcipuus & epiſtolæ quaſi domeſticus eſt pacificatorius *Rom. XVI, 7.* Volebat enim Paulus vnire gentiles & Iudæos, quorum Iudæorum 8000 ſub Liberio & Claudio Romæ fuerunt, teſte *Ioſepho lib. XVII Antiq. c. 12.* Erant gentiles ſuperbi ob Philoſophiæ ſtudium, deinde ob rerum ſummam, quæ tunc erat Romæ apud gentiles Imperatores, tertio ob electionem gentilium in Nouo Teſtamento & Iudæorum exciſionem: Iudæi autem conuerſi ſuperbi erant propter genus ex Abrahamo, ob fœdus cum Deo, ob Meſſiam ex iis natum. Hos omnes *Paulus* in hac epiſtola mira ſapientia & mutua toleran-

leran-

lerantia conciliare studet, hinc dicit, utrosque peccasse gentiles c. I. Iudæos c. II. utrosque eodem modo iustificari c. III. utrosque ad idem officium obstringi c. VI. VII. utrosque iisdem priuilegiis gaudere c. VIII, pro utrisque Spiritum sanctum intercedere & gemere. Conf. de scopo huius epistolæ incomparabilis iudicii Theologum B. Danbauerum in *Hodomoria Calu. p. m. 497.*

§. II. Reliqui Theologi, ut B. *Balduinus* in Commentario, B. *Ioannes Gerhardus* aliique diuidunt hanc epistolam in partem doctrinalem & moralem, siue in theoreticam & practicam, in credenda & facienda. Nam c. I. & II. agit de iustificationis subiecto, nempe Iudæis & gentilibus, c. III. de iustificationis modo, c. IV. de iustificationis exemplo Abrahamo, c. V. de iustificationis fructu, pace cum Deo, c. VI. de iustificatorum debitis, c. VII. de iustificatorum statu ob luctam carnis & spiritus, c. VIII. de iustificatorum priuilegiis. Noster textus pertinet ad partem doctrinalem huius epistolæ.

Thesis II.

Scopus textus nostri est consolatorius.

Nam in hoc *capite octauo Paulus* consolatur primos Christianos ob perseuutiones, desumpto *argumento primo* a præstantia vitæ æternæ v. 18. *secundo* ab vniuersalitate crucis v. 19. quia omnes creaturæ sympathiam habent cum Christianis, *tertio* ab adstantia Spiritus sancti, *intercedit pro nobis.* Pro quibuscunque igitur Spiritus sanctus intercedit, illi in cruce non debent desperare. Atqui pro Christianis &c. Ergo.

Thesis III.

De triplici gemitu Paulus in hoc capite agit.

§. I. Nempe de gemitu creaturarum *v. 19.* de gemitu Apostolorum *v. 23.* de gemitu Spiritus sancti *v. 26.* Primus est improprius, alter proprius, intermedius est humanus, vltimus diuinus.

§. II. Quod gemitum creaturarum attinet, non ignoramus, quam speciose & ingeniose Cl. *Ligtfoot in horis Talmudicis* hæc ipsa verba de gemitu gentilium explicet, quia videlicet expectant liberationem a gentilismo. Putat enim gentiles vocari *κτίσω Marc. XVI, 15. Col. I, 23. nouam creaturam 2. Cor. V, 17.* Dicuntur autem gentes expectasse Christum *Gen. XLIX, 10. Hagg. II, 8.* Sed *Marc. XVI, 15.* etiam Iudæi creaturæ vocatur. *Origenes* per creaturas intelligit animam solis, lunæ, stellarum, quæ corporum suorum vanitati sunt obiectæ. Alii per creaturas angelos indigitant, sed hi non sunt vanitati obnoxii, mali vero angeli non expectant liberationem, nec gemunt, sed fremunt potius & tremunt.

§. III. Nos vulgarem sententiam malumus amplecti, quæ gemitum creaturarum & totius mundi intelligit. Nulla enim necessitas nos cogit, vt a primaria significatione vocis *creatura* recedamus. Amat quippe Spiritus sanctus profopopœias, vt cum audire iubentur cœlum & terra, cum montes exaltasse, maria & amnes trepidasse dicuntur *Deut. XXXII, 1. Psalm. CXIV. Ier. XLVII, 6. Os. XIII, 11. Esa. LV, 12.* Expectatio brutorum non est propria, vindicantur in libertatem, non per vitæ æternæ collationem, sicuti *Franciscus Puccius & Burnetus* in Anglia

glia

glia docuerunt bruta saluari ; nec liberantur creaturæ per noui mundi creationem, sicuti *Stoici* nouum mundum e cineribus tanquam Phœnicem resurgere statuunt, sed liberantur per vanitatis ablationem, per annihilationem & per totalem abolitionem *Psal. CII, 27.*

§. IV. Cum hoc gemitu vniuersali coniungitur particularis Spiritus sancti gemitus, de quo nunc verba sunt facienda.

CAPVT II.

Exegeticum, de sensu textus.

Thesis I.

Ante omnia de adpellationibus & nominibus Spiritus sancti dispiciendum est in articulo de Spiritu Sancto.

§. I. Si vnquam necesse fuit, vt habeatur ratio vocabulorum, certe id observandum est, quando de tertiâ persona sanctissimæ Trinitatis ex Scriptura determinare debemus. Non enim iudicandum est hoc studium leue aut bellum grammaticale vocandum, quia de diuina veritate aliunde iudicare non possumus quam ex verbis & vocibus Scripturæ.

§. II. Sane tertia persona diuinitatis non ita propriam habet significationem vt prima & secunda persona, quoniam & Patri & Filio nomen Spiritus sancti competit. Scriptura etiam non vno nomine tantum Spiritum sanctum describit, sed plura adhibet & quidem ta-

B

lia

lia, quæ communia sunt aliis rebus non tantum in com-
muni loquendi vsu, sed & in ipsa Scriptura. Optime
Cbennitius in *locis theologicis*: *Præcipua pars refuta-*
tionis Macedoniana sita est in distinctione diuersarum si-
gnificationum vocabuli Spiritus. Totum enim delirium
πνευματεμάχων fuit fallacia figura dictionis, hoc est, ab-
utebantur illis locis ubi vocabulum Spiritus alia signifi-
catione vsurpatur.

§. III. Est alias *Spiritus* notio lati significatus, vn-
de *Thomas Hobbesius* in *Leuiathane* Deum corporeum
esse, sed falso probat. Denotat enim illa vox *uentum*
Ioan. III, 8. halitum Es. II, 22. animam Luc. XXIII, 46.
angelum Ebr. I, 7. dona Spiritus sancti 1. Theff. V, 23.
quo in loco non tres partes hominis physici,
sed hominis Spiritualis adferuntur, nempe anima,
corpus, Spiritus seu motus Spiritus sancti. Conf. v.
19. proprie autem ac κατ' ἐξοχὴν *Spiritus* vox significat
Spiritum sanctum qui a Patre Filioque procedit.

§. IV. Si Deo tribuitur vox *Spiritus*, sumitur vel
ἐσοδῶς essentialiter, vt est nomen omnibus personis in
Trinitate commune *Ioan. IV, 24.* vel μετενυκτικῶς pro effe-
ctis & donis, quæ Spiritus sanctus impertit, vel ὑποστατικῶς
de tertia persona Spiritus sancti, & hic significatus est hu-
ius loci. Addi solet ab aliis quartus, quo natura diui-
na Christi significatur *Rom. I, 4. Ebr. IX, 14.* Omnium au-
tem optime de significato huius vocabuli ex descriptione
& circumstantiis textus iudicari potest & debet.

§. V. Adpellationes Spiritus sancti in Scriptura
sunt vel metaphoricæ vel propriæ. Inter metaphoricæ
eminent, arrhabo, ventus, vnctio, aqua, ignis, digitus
Dei. *Arrhabo* & pignus *Eph. I, 14.* Sicuti sponsus dat arr-
ham

ham, vt certum sit conjugium, sic dat Deus Spiritum sanctum in pignus fidelibus. *Vnctio* vocatur *1. Ioan. II, 20.* per metonymiam effectus pro causa, quia vngit fideles. *Aqua Es. XLIV, 3. Ventus Ioan. XX, 22. Ignis Matth. III, 11. Digitus Dei Luc. XI, 20. Oleum letitiæ Psalm. XLV, 8. Virtus Dei Luc. XXIV, 49.* quæ adpellatio nil derogat Spiritus sancti personalitati, quia virtus etiam potest esse persona, vt Ruben, Jacobi virtus prima *Gen. XLIX, 3.* Spiritus nuncupatur non ratione essentiæ spiritualis, sed quia a Patre & Filio procedit per spirationem passivam: *Sanctus* vero non tantum ab essentiæ sanctitate, quæ cum Patre & Filio communis est. *Es. VI, 3.* sed & ab opere sanctificationis, quia in illo se imprimis manifestavit.

§. 6. *Ambrosius in Symbol. Apostol. c. I. Licet Pater sit Spiritus, & Filius sit Spiritus, & Pater sit Sanctus, & Filius sit sanctus, sola tamen tertia persona proprie Spiritus sanctus nuncupatur. Quia enim est coeterna ambobus persona, hinc ipse vocatur, quod ambo sunt.*

Thesis II.

Subiectum in nostro textu est Spiritus sanctus.

§. I. Quoniam interpretes indignum putant Spiritu sancto si gemat, hinc *Lyranus* per Spiritum hoc loco intelligit *Angelum* custodem, sed male, quia angeli in toto hoc capite Apostolus non meminit, nisi in fine. Alii intelligunt *superiorem animæ portionem* gratia Dei illustratam & adiutam, quæ spiritus vocatur & carni contraria est, *Gal. V, 17.* Hanc enim partem docere nos, vt petamus secundum Deum, id est, quæ Deo placent, &

vt respuamus ea, quæ carni sunt grata, & quanto magis caro suas voluptates concupiscit, tanto magis spiritus gemit & petit pro nobis instantius ea, quæ nobis salutaria, sed sane incommodus sensus est. Vid. de hac sententia iudicium summi Theologi *Dorscbai* in *Theologia Zachariana P. II. p. 188.*

§. II. *Chrysofomo, Theophylacto, Oecumenio* Spiritus est *vir spiritualis* & ecclesiæ minister, cui in primitiua ecclesia gratia pro populo orandi data erat a Spiritu sancto. Nos putamus: quocunque sensu vox Spiritus sumitur in antecedentibus, eodem etiam sensu in textu sumitur; quia nulla necessitas vera hanc acceptionem disuadet. Atqui ferme semper in hoc *capite* vox *Spiritus* de Spiritu sancto vsurpatur, vt *v. 9. 11. 14. 15. 16. 23. & 26.* Ergo eodem sensu in textu sumitur. Idem Spiritus heic introducitur, qui *v. 9.* ob æternam processionem a Filio *Spiritus Christi* vocatur. Vox cum genitiuo constructa plerumque est originis index, vt templum Salomonis &c. Sicut igitur Spiritus sanctus vocatur *Spiritus oris Psalm. XXXIII. Spiritus Dei Job. XXXIII, 4.* ob æternam a Patre processionem, sic & *Spiritus Filii* ob æternam a Filio processionem *Spiritus labiorum Es. XI, 4. Spiritus oris Christiz. Thes. II, 8.*

Thesis III.

*Spiritus sanctus intercedit effectiue,
hoc est, efficaci sua operatione nos
orare facit & ad preces instigat.*

§. I. Postulat Spiritus sanctus non in se, sed in nobis & per nos tanquam per instrumenta. Quod autem
per

per instrumentum fit, ipsi causæ mouenti tribuitur. Hunc sensum docet collatio Scripturarum, & probatur hæc expositio ex *v. 15.* per quem clamamus *Αββα ὁ πατήρ*. Sic Deus dicitur cognoscere, quum facit alios cognoscere; *Nunc cognoui, quod timeas Dominum Gen. XXII, 12.* Conf. *Ioan. XIV, 16. 1. Ioan. II, 1.* Adde *Gal. IV, 6. & Matth. X, 20. Non vos loquimini, sed Spiritus.*

§. II. Quoniam autem Spiritus sanctus facit, vt clamemus *Αββα ὁ πατήρ*, hinc quærent interpretes, cur *Paulus* duas voces idem significantes ponat. *Augustinus* vult, *Abba* esse vocem græcam, in quo errat. E *Lightfooti* scriptis, si conferantur, patebit, ideo ex duplici lingua Ebræa & Græca duplex vocabulum prolatum esse, nempe ob coniunctionem Iudæorum & gentilium in ecclesia noui Testamenti, vel explicandi gratia, vt vox Græca Ebræam explicet, vel ob emphasin & vehementiam affectus, vel quia mos est blandientium repetere *Matth. VII, 22.* vel quia *Abba* est titulus honorarius EcclesiasticoScholasticus. Vid. celeberrimum *Pfeifferum de exoticis & Ebraicis noui Testamenti vocibus p. 35.*

§. III. Statuunt hanc intercessionem effectiuam *Augustinus, Lutherus, Hunnius, Wellerus, Mylius, Glasius, Balduinus, Gerhardus.*

§. IV. *Augustinus epistola CXXI & rotundius tractatu VI. in Ioannem: Non ergo Spiritus sanctus in semetipso, apud semetipsum, in illa Trinitate, illa in beatitudine, in illa aternitate substantiæ gemit, sed in nobis gemit, quia gemere nos facit. Sic misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem, Abba Pater.*

§. V. Inprimis præclare hæc exposuit *B. Lutherus* pro more suo in *commentario Gal. IV.* qui locus dignus est, vt heic conferatur.

§. VI. B. Hunnius in b.l. Orare dicitur, dum nos orare facit, dum has ipsas preces, hos gemitus in nobis excitat, format, dirigit, cor nostrum & precandi affectum accendit, & finalem fiduciam in precando subministrat.

§. VII. Item B. Balduinus: Tunc Spiritus sanctus orare dicitur, quando nos orare facit, tunc ingemiscit pro nobis, quando pios gemitus & suspiria ad Deum nobis immittit, preces in nobis serias ac ardentis reddit, fiduciamque in animis nostris de exauditione infallibili accendit.

§. VIII. Wellerus in b.l. Docet nos orare, siquidem sine illo non possumus Christum vocare Dominum 1. Cor. XII, 3. Chrysostomus Hom. LXXIX. de orat. Non nosti utilia, homo, frequenter damnosa petis, & periculosa, sed ille magis curam tuæ gerens salutis non tuam intuetur postulationem, sed antequam petas, quid tibi conferat, prouidet. ὑπερευτυχάει est metaphora ab accusato coram tribunali desumpta, ubi tertius intercedens pro aliquo, ut liberetur, interuenit, veluti si quis Principem adeat, expositurus, commendaturus & adiuturus causam amici. Preces nostras Deo facit notas & gratas. Illi enim gemitus quos in nobis ciet Spiritus sanctus, secundum Deum sunt, (κατὰ θεὸν ἐντυχάει ὑπὲρ ἀγίων) hoc est, iuxta voluntatem Dei fiunt. Patet inde, quod causaliter & effectiue hæc de Spiritu Sancto dicantur. Idem B. Mylius in Exegesi profert.

§. IX. B. Glasius eleganter intercessionem Spiritus sancti vocat *ἑπιχειρητικὴν* concurrentem quasi cum nostris gemitibus ad quoddam quasi commune ἀποτέλεσμα. *Obserua* heic, inquit, lib. III. Philolog. sacr. Tract. 3. Can. 22. *iucundissimam & consolaminis plenissimam intercessionis Spiritus*

Spiritus sancti & suspiriorum piorum coniunctionem & quasi περιχώρησιν. Dum suspirant contrita & Deo addicta per Christum anima, suspirare & simul intercedere dicitur Spiritus sanctus. Quidquid precibus deest, id gemitu sancto in piorum cordibus compensat Spiritus sanctus. Is gemitus non est ex natura viribus, sed ex Deo, unde ἀλάλητος.

§. X. Addimus solidissima nostri Gerbardi verba: *Quidam accipiunt verba Pauli ἐνεργητικῶς, quia nos orare facit. Interpellat non ἀπλῶς absolute & immediate per se & in propria sua persona, sed οἰκονομικῶς & ἐμμέσως dispensatiue & mediate, dum preces in nobis format. Interpellat in nobis non ἀνθρώπινως humano more, sed θεοπεπῶς. Spiritus sanctus heic consideratur non ratione θεολογίας, quatenus κατ' ἔσω ratione essentia, personae & attributorum in ipsa Deitate consideratur, sed κατ' ἔξω ratione οἰκονομίας siue officii, quod in nobis & circa nos administrat. Quae ut recte intelligantur, sciendum, quod quaedam tribuantur Spiritui sancto absolute in persona propria, quaedam relate non in propria, sed in nostra persona, idque tum actiue, ut h. l. tum passive, ut Act. VII. Vos resistitis & c. Vid. Comment. in epist. ad Rom.*

Thesis IV.

Intercessio Spiritus sancti est vera & formalis, non tantum per antropopathiam.

§. I. Probatum hanc interpellatio diuina (1) ex phrasos sensu. Ut enim ἐντυγχάνειν formalem notat precationem

tionem *Rom. XI, 2. 1. Tim. II, 1. IV, 5. Conf. Sap. VIII, 2.* ac vt ἐπιτυχῆν κατὰ τινος est occurrere alicui ad accusandum *1. Maccab. X, 6. Act. XXV.* Ita ὑπεξεντυγχάνειν τῷ Θεῷ ὑπὲρ τινος est occurrere Deo ad defendendum, sicut Abigail Davidi irato obviam venit *1. Sam. XXV, 18.* Iam si ἐπιτυχῆν ὑπὲρ ἡμῶν in Christo formalem significat precationem, vt *Rom. VIII, 34.* hoc ipso capite, & *Ebr. VII, 25.* cur non & ὑπεξεντυγχάνειν in Spiritu sancto. Sane sicuti Filio nihil decedit, quod pro nobis intercedere dicitur; ita nec Spiritus sancti Deitas imminuitur. Probamus (2) hanc thesin cum B. *Danbauero* in sua *Hodosophia* ex vocabulo *paracletus Ioan. XIV.* quæ vox a solo Christo in valedictoria oratione quatuor vicibus adfertur. Sicut igitur Christus vere orat pro nobis, non tantum orare facit, ita & Spiritus sanctus. Etiam Pater nos intercedere facit, neque tamen ipse pro nobis dicitur intercedere. Probamus (3) *e scopo.* Apostolus iam in *v. 15.* de effectiuis Spiritus sancti precibus loquutus est: At *v. 26. 27.* nouum aliquod a prioribus distinctum argumentum consolatorium proponit. Quod nouum non esset, si Apostolus hoc duntaxat inculcaret, quod Spiritus sanctus nos facit orantes. Nec caret emphasi NB. τὸ αὐτὸς *IPSE* interpellat. Imo finge totum hunc locum mere effectiue esse accipiendum, sensus foret, ipsum Spiritum sanctum facere, vt nos interpellemus pro nobis, vt nosmet nostri simus aduocati. Longe profecto aliud est, a Spiritu preces nobis infundi, aliud ipsum paracletum pro nobis intercedere. Præterea nemo fidelium pro se ipso intercedere, aut sui ipsius intercessor vocari potest, cum intercessio semper pro alio fiat.

§. II. Quare

§. II. Quare *αὐτὸ γράνειν* & *ὑπερευχαίνειν* pro nobis plus in recessu habet, quam simpliciter nobis preces inspirare, quod pace magnorum virorum *Augustini epist. CXXI. de orando Deo c. XV. Gregorii L. II. Moral. 22. Origenis* aliorumque Doctorum Ecclesiae grauisimorum velimus dictum.

§. III. Inter hos etiam, ut rei difficultatem agnoscas, fuit olim B. *Feurbornius*, at quantus Theologus! *Fasciculo IV. Disp. 6. tb. 31. & D. 9. tb. 43.* qui postea re curatius expensa, se ipsum correxit *Syntagmate I. P. III. Disp. III. tb. 28. f. m. 53.* & nostrae sententiae omnino accessit ad mentem B. *Gerhardi L. III. Schol. Pietat. f. 353. Harmon. c. CLXXVI, Gerlachii T. 1. Disp. 6. tb. 312. seq. Hesbusii in epist. ad Rom. c. 8. Brentii in hoc caput & Spangenbergii concione 66. in hoc cap.*

§. IV. Quod Spiritus Sanctus dicitur *pro nobis intercedere gemitibus inenarrabilibus*, id *Hunnius* explicat de eo, dum nos orare facit. Eadem est mens *Mylii*, *Balduini* & plerorumque Patrum. Sed certe plus adhuc in istis verbis continetur & innuit *Paulus*, Spiritum sanctum non solum nos orare facere, sed etiam ipsum & orare in nobis, quoniam est aduocatus noster, inquit *Gerhardus* & *Feurbornius*. B. *Danbauerus l. c.* intercessionem Spiritus sancti suo plane more, id est, rotunde, acute & neruose vocat *orationem formalem, loquutionem divinam, linguam caelestem, Deo dignam, Spiritui sancto propriam.*

§. V. E veteribus Doctoribus elegantissimum hunc *Ambrosii* locum *Tom. V. operum in c. 8. Rom. f. 209.* transmittere non possumus. *Non, ait, humanis eloquiis postulare pro nobis dicitur Spiritus Domini, sed more sue*

C

natu-

natura. Cum enim quod de Deo est, Deo loquitur: eo more loquatur necesse est, quo ille loquitur, de quo est. Nemo enim cum ciue suo alia lingua loquitur. Superfundit enim se precibus nostris Spiritus datus nobis, ut imperitiam & improvidentiam nostram motu suo operiat, & illa nobis a Deo petat, quæ prosint nobis. Manifestum est, quia Deo cui nihil tacitum est & occultum, nota est precatio omnium spirituum: quanto magis Spiritus sancti, qui eiusdem utique substantiæ est, eloquitur non impulsu aeris neque ut angeli, aut sicut cetera ex creaturis, sed sicut competit eius diuinitati: Deo ergo loquitur, cum nobis tacere videtur & hæc petit, quæ scit Deo placere & nobis prodesse. Tunc sane pro nobis se interponit idem Spiritus, cum scit nos per ignorantiam, non per iactantiam, contraria postulare. Maneat igitur firmum, certum, immotum atque inconcussum, quod Spiritus sanctus formaliter pro nobis intercedat, gemitibusque humanæ balbutiæ & Angelicæ quoque facundiæ inenarrabilibus ipsemet apud Deum interpellet.

§. VI. Contra hoc aduocati nomen, quasi id Spiritu sancto utpote Deo indignum sit, gratis *Barradius T. IV. Comm. in Hist. Euangelist. L. IV. c. 4. f. 129.* cum *Suarzio T. I. in P. III. Thom. q. XXI. D. 45. f. 692.* aliisque disputat, cum etiam Christus $\acute{\omicron} \acute{\alpha} \lambda \eta \theta \iota \nu \acute{\omicron} \varsigma \Theta \epsilon \acute{\omicron} \varsigma$ aduocatus noster *I. Ioan. II, 1.* dicatur. Quod officium utriusque naturæ esse a Theologis alibi probatum supponimus. Cæterum quando de Spiritu sancto verba facimus, omnes humanæ aduocatiæ adspersas feces studiose abstergimus.

§. VII. Iesuita *Estius* in adnotationibus suis aureis in *Ioan. XIV, 16. f. 621.* concludit impossibile esse, ut Spiritus sanctus sit noster aduocatus, hocque dicentem incidere
in

in hæresin Macedonianam, quoniam *Ioan. XIV.* non opus fuerit mittere alium aduocatum, quia Christus ad Patrem se iturum dixit, qui commodissime aduocati officio queat fungi, & quod si Spiritus sanctus sit aduocatus, huius rei gratia non fuerit mittendus ad discipulos, sed potius manere debuerit apud Patrem, vt ibi pro discipulis interpellaret.

§. VIII. Etsi vero Christus pro nobis interpellat, inde non sequitur Spiritum sanctum non interpellare. *An oculus tuus malus est, quod Dominus, destinans duos nobis Aduocatos, tam est bonus?* Spiritus sanctus ad nos mittitur ob maius solatium, quia clientes sunt animosiores, si aduocatus ipse præsens est. Nec desinit Spiritus sancti præsentia in cœlo, quando præsens est in terra.

§. 9. Hanc ob causam *Cyrillus Alexandrinus* Spiritum sanctum *συμπαράκλητον* vocat *lib. IX. in Ioan. c. XIV.* & hæc verba addit: *Alium Paracletum dicit, quia & ipse Paracletus est, nec tamen aliud quidpiam in sanctis Spiritus operatur, quam ipse Filius, cuius & est & adpellatur Spiritus. Alium Paracletum vocat, quia in propria subsistentia est. Operatur tamen non aliter, quam ipse Filius. Est alius, non aliud.*

§. X. Est ergo & manet Spiritus sanctus aduocatus noster. Audiamus verba ponderosa *Cornelii a Lapide* ad *b. l. Spiritus sanctus postulat, id est, desideria amicorum suorum eorumque gemitus inenarrabiles in Consistorio S. Trinitatis quasi Paracletus seu Aduocatus noster exponit magna instantia, magno pondere & magna auctoritate. Nam ὑπὲρ notat præeminentiam Spiritus sancti in postulando, quasi ipse presit omnibus postulationibus, sitque quasi Magister & Præfectus libellorum suppli-*

cum nostrorum apud Deum, & Latinum postulare inquit Ulpianus l. 1. tit. de postul. est desiderium suum vel amici sui in iure apud eum, qui iurisdictioni præest exponere. Simili modo v. 34. Filius dicitur interpellare pro nobis. Ita Nazianzenus Orat. 11. de Filio, qui pro ὑπερέντυγχαίει vertit πρεσβείει, id est, legatione fungitur legatum agit, & tanquam legatus internuncius & interpretres noster postulat pro nobis Spiritus sanctus.

Thesis V.

Intercessio Spiritus sancti valde differt ab intercessione Christi.

§. I. Christi intercessio est Θεωθεωπικῆ, Spiritus sancti tantum Θεϊκῆ, illa μεσιτικῆ, hæc non. Christus intercedit ἰλαρικῶς vt mediator, Spiritus sanctus non ita. Vnus enim est mediator. 1. Tim. II, 5. Conf. quæ habet Espenceaus de Christo Mediatore c. IIX. oper. f. 295. seqq. In his differentiis pie adquiescamus.

§. II. Παράκλητῆ etiam Pater παρακλήσει mandatoria 2. Cor. V, 20. Filius iure sanguinis pro suis intercedit, ac merita sua allegat. Spiritus sanctus aliter, vere tamen & Θεοπροπῶς interpellat. Tota Trinitas est terminus orationis pro nobis factæ: Pater fons est, a quo omnia petuntur, Filius Mediator, Spiritus sanctus ut Advocatus a nostris stat partibus.

§. III. Consonat B. Lutherus in explicat. Psalm. VI. T. V. Altenb. & in conc. 1. Isleb. T. VIII. Altenb. p. 517. Queritur, inquit, quo discrimine alibi Christus dicatur interpellator pro nobis, heic vero Spiritus sanctus dicatur interpellator. Respondeo, Christus est interpellator, quia est

est Redemptor & suo merito placans iram aeterni Patris. Sed Spiritus sanctus est interpellator, in quantum nos movet ad invocationem iuxta dictum Zach. XII, 10. Effundans super domum David spiritum gratiae & precum. Filius est interpellator, quia est Redemptor, qui persolvit pretium, ut satisfaceret iustitiae Dei & placaretur ira Dei. Sed Spiritus interpellat post placatam iram per Filium, sic ut accendat in nobis invocationem testificando, quod Deus nos recipiat & sit nobis propitius.

Thesis VI.

Spiritus sanctus est Aduocatus noster, partim apud mundum, partim apud Deum.

§. I. Eleganter Dannbauerus aduocationem Spiritus sancti in stylo vindice Sp. S. p. 86. describit. Est enim talis actio, per quam Spiritus sanctus clienti suo, reoque desperabundo solatia adspirat, causa sua diffidentem animat, ignorantem modum precandi, caeco lumen adfundit, consilii experti salutaria suadet, accusatum defendit, languidum ad preces excitat, infirmam eiaculationem roborat, impuram defecat, ingrati gratam facit, obscuram serenat, bebetem acuit, ignavam sublimat, ad thronum Dei adducit tardam, vincit tandem, obtinet causam, consequitur vota, implet desiderium. Idem est ἐντροχάειον, hinc τὸ χαί fortuna. Paucis multa haec latent.

§. II. Sane quo nobilior est Aduocatus, quo praestantior Patronus, eo eius suada est penetrantior. Est autem Spiritus sanctus Aduocatus piorum apud mundum,

mundum arguendo *Ioan.* XVI, 8. & conuincendo. Deinde est etiam aduocatus *apud Deum* nobis adfistendo, nos consolando & adhortando. Non solum *apud Deum*, sed & *iuxta Deum*, hoc est, iuxta Dei voluntatem nobis preces inspirat *Rom.* VIII, 27.

Thesis VII.

Intercedit Spiritus sanctus in textu primo pro Apostolis, deinde pro nobis.

§. I. De quibuscunque enim loquitur *Paulus* in antecedentibus, de illis loquitur etiam in nostro textu. Atqui de vtrisque, de Apostolis & fidelibus loquitur in antecedentibus. Ergo. Loquitur quippe v. 23. de illis, qui primitias Spiritus acceperunt. Iam vero hæc phrasis commode de Apostolis, commode de fidelibus explicari potest.

§. II. *Apostoli* primitias Spiritus impetrarunt die Pentecostes, quia primi fuerunt, super quos miraculose Spiritus sanctus descendit. *Fideles* autem primitias Spiritus habent, quia non plenitudinem totam, sed primitias saltem Spiritus in hac vita adsequuntur, integra messis perfecta sanctitas, perfecta renouatio imaginis diuinæ in cælo est expectanda.

Thesis VIII.

Causa impulsiva intercessionis Spiritus Sancti est partim Dei benignitas, partim nostra infirmitas, partim

*partim persecutionum in prima
ecclesia grauitas.*

§. I. Quanta fuerit persecutionum decem atrocitas, quam superaverit decem plagas Aegypti patet ex *Hist. Eccl.* & imprimis ex B. Kortboldi libro de *persecutionibus*.

§. II. Rem stupendam de modo procedendi coram tribunali inquisitionis Goæ refert *Limborchius in historia sua inquisitionum libro IV. c. 42.* quomodo ibi aduocati malis artibus vtantur, quomodo fallant clientes promissis, & deinde dicant, hæreticis non esse seruandam fidem. Conceditur suspectis de Lutheranismò aduocatus in speciem, qui re ipsa est proditor. Inquisitio enim aduocatum adsignat, non quem reus vult, sed quem inquisitio iuramento adstrinxit. Imò inquisitio, quando brachio seculari reum tradit, fìcte pro ipso intercedit. Tam malus aduocatus non est Spiritus sanctus, intercedit non fìcte, sed vere, non est proditor, sed consolator.

Thesis IX.

Effectus intercessionis Spiritus sancti est Dei reconciliatio, precum exauditio, pacis spiritualis collatio, diaboli consternatio, peccatorum remissio, crucis mitigatio, de

de gratia Dei testificatio, ad gaudium excitatio. Conf. Gal. V, 22.

§. I. Certi esse possumus de intercessione Spiritus sancti per testimonium Spiritus sancti, quod valet ad se ipsum, non ad alium conuincendum. Testimonium internum constat hoc syllogismo: Quicumque est verus Christianus, pro illo Spiritus sanctus intercedit. Atqui ego. Ergo. Maior est *Pauli*. Quod attinet ad minorem, vide an opera tua deceant Christianum.

§. II. Non est hæc doctrina solatiffua, vana iactatio, vel coniecturalis opinio 2. *Cor.* XIII, 5. *Rom.* VIII, 16. vi huius testimonii Spiritus sancti certus est *Paulus v. 38.* hinc Triumphus *v. 31.* Nullus heic fallaci phantasiæ, philautiæ ac inspirationibus fatanicis locus.

§. III. Est autem testimonium Spiritus sancti nostro iudicio certior quædam & solidior in cordibus fidelium de fauore diuino & promissis diuinis impressio, per quam Christianus de salute æterna adeo persuasus redditur, non aliter ac si iam actu ea frueretur.

Thesis X.

Gemitus Spiritus sancti haud incongrue conferri potest cum gemitu columbæ. Idem Spiritus sanctus quodammodo similis est columbæ internunciæ.

§. I. Ita Ezechias in cantico de morbo suo *Es.* XXXVIII, 14. *gemebam ut columba.* σπλαγχιζόμενον hoc Spiritus

Spiritus sancti Numen non est columba fallax, vt Muhametis, sed columba sine felle. Columba Noachi raram portabat oliuæ: Spiritus sanctus columbæ forma apud Iordanem adparens folium pacis æternæ adflictis in Ecclesiæ arca adfert, & placatum esse Deum adnunciat. Diabolus vt Euæ adpareret, serpentem induit: Spiritus sanctus columbam. Par scilicet erat, vt inter instrumentum eiusque motorem quædam esset proportio. *Fortassis*, ait *Hugo Victorinus*, si permissus fuisset diabolus, in forma columbæ venire maluisset: Hoc vero vas Spiritus sanctus sibi reseruauerat, quod profecto dignum non erat, vt spiritus malignus formam illam homini faceret odiosam, in qua postmodum Spiritus sanctus adparere debebat. Vti vero serpens cælestis imaginis fuit prædo, sic Spiritus sanctus recuperatæ imaginis est præco. Hæc columba nobis solatio est in diluuiis malorum, quibus inundamur.

§. II. Liceat quoque mentionem iniicere columbarum internunciarum, quæ antiquitus Romanis in usu erant, inprimis Decio Bruto in obsidione Mutinensi, cuius exemplum refert *Plinius libro X. c. 24.* Erudiuntur moscho rostris allitæ, quia moschi sunt adpetentissimæ.

§. III. His non possumus non addere pauca ex suauißima *Heinsii* elegia de columbis Leidensibus, libro tertio elegia decima:

*Hic volucrem sacram trepida demittit ab urbe,
Qua referat ductus illius, illa volat.
Moxque domum gaudens dulcesque reuisere nidos
Per medium rursus æra lapsa fuit.
Scriptaque Boisoti mandataque gestat in alis,
Iamque ministerii dulce peregit opus.*

D

Hanc

Hanc scilicet artem Belgæ & Turcæ renouarunt. Vid. *Bocharti Hierozoicon P. II. p. 12. seqq.*

§. IV. Talis columba internuncia apud Deum est Spiritus sanctus, quia nunciat Deo nostram miseriam, & quia nobis adnunciat pacem cum Deo.

Thesis XI.

*Gemitus Spiritus sancti non sunt
humani.*

Quoniam vocantur gemitus inenarrabiles, qui vel plane non, vel difficulter explicari possunt. Balbutire tamen licet, quibus eloqui non est datum. Eamus, quo lux diuina præit. Gemitus illius non sunt humani, queruli ac miserix testes, quales sunt illi Hiskix *Esa. XXXVIII, 14.* Apostoli *Rom. VII, 24. 2. Cor. V, 2.* sed diuini, purissimi, sublimissimi ac ideo cœlestes, quia ἀλάλητοι, ἀρρητοι, quales fuerunt illæ voces, quas in raptu suo audiuit gentium Doctor *2. Cor. XII, 4.* Sunt autem inenarrabiles, non Deo, sed nobis.

Thesis XII.

*Gemitus Spiritus sancti pertinent ad
Theologorum ignorantiam do-
ctam.*

§. I. Pertinent ad laudabilem Theologorum ignorantiam: Non autem intelligimus ignorantiam adfectatam, sed ab Apostolo *1. Cor. XIII, 9.* commendatam, quares a Deo non reuelatas & nulli homini perscrutabiles vltro nescire volumus, quia τὸ ὄπ, non τὸ διότι vel τὸ πῶς
quæri-

quærimus. Vtilis est hæc docta ignorantia, vt scientiæ nostræ imperfectionem serio agnoscamus, ne falsa sapientiæ imaginatione intumescamus, sed ad desiderium cœlestis Academiae inflammemur. Varia exempla huius ignorantiae doctæ in Theologia, Anthropologia, Christologia, Soteriologia collegit *Voetius Dissp. T. III. p. m. 681.*

§. II. Sicuti nemo potest scire, quomodo tres sint vnum, quomodo Christus præsens esse possit in sacra Cœna, quo anno veniet dies extremus; ita nemo nouit, quomodo Spiritus sanctus gemat. Notatu digna est sententia *Pauli Rom. XII, 2. Ne supra modum sapiatis, ultra quam oportet sapere.* Cum quo adprime conuenit illud *Tertulliani de anima c. I. Quis enim reuelabit, quod Deus texit? Vnde sciscitandum est? Vnde & ignorare tutissimum est; præstat per Deum nescire, quia non reuelauerit, quam per hominem scire, quia ipse præsumpserit.* Et *Iosephi Scaligeri scribentis, nescire velle, quæ optimus Magister docere non vult, erudita inscitia est.*

CAPVT III.

HistoricoEcclesiasticum, de hostibus huius dicti & Spiritus sancti, siue de Pneumatomachis, qui vel personalitatem vel æqualitatem Spiritus Sancti cum Patre & Filio e textu nostro negarunt.

Thesis I.

Multi Spiritus sancti hostes Seculo I. II. III. reperiuntur.

D 2

§. I. Pri-

§. I. Primus pseudoSpiritus sanctus fuit *Simon Magus*, qui fassus est, se in Samaria vt Patrem descendisse, in Iudæa vt Filium, & inter gentes vt Spiritum sanctum. Nec dictis modo, sed & scriptis se esse aliquem magnum mentitus est. *Hieronymo* enim teste hæc quoque proferre ausus est: *Ego sum sermo Dei, ego Paracletus, ego omnipotens.* *Nicephoro* teste flammam illæsam transiit, in aere volauit, ex lapidibus panes fecit, in varias species se transmutauit, per montes & saxa transiit, occlusas fores verbo aperuit, aliaque viribus humanis maiora perpetravit. Et si *Tertulliano de anima c. XXXIV.* fides habenda, eadem pecunia, qua Spiritum sanctum decipere ausus est, scortum redemit & hanc Helenam suam Spiritum sanctum esse blasphemauit. Vid. *Epiphanius her. 20. Conf. Max. Rev. DN. Ittigii eruditissimum tractatum de heresiarchis primi seculi p. 24.*

§. II. Quod attinet *Saduceos*, probabilius est, etsi neque Angelum neque Spiritum crediderint *Act. XXIII, 8.* illos tamen per Spiritum non nisi animam a corpore separatam intellexisse, id quod vox ἀναστάσεως euincere videtur.

§. III. Meminit *Ignatius in epistola ad Trallianos* quorundam, qui Spiritum sanctum negarunt, de qua an genuina sit, disputent *Dallæus & Pearsonius in vindictis epistolarum Ignatii.*

§. IV. *Valentiniani* seculo II. Spiritum sanctum Angelis coætaneum fecerunt teste *Athanasio epistola ad Serapionem.* Seculo III. *Sabelliani* ac *Samosateniani* docuerunt, ynam tantum in Deitate personam esse, quæ nunc Pater, nunc Filius, nunc Spiritus sanctus pro diuerso respectu & distincta operatione adpellaretur.

§. V. Eo-

§. V. Eodem seculo, si *Cyrillo Hierosolymitano in catechesi XVI.* credimus, *Montanus* Paracletum seu Spiritum sanctum se iactavit, tantumque obtinuit, ut *Catharyges* ipsum Spiritum sanctum seu Paracletum vocarent. Verum nunquam satis laudandus DN. *Ittigius loc. cit. sect. II. c. 13.* probat ex *Tertulliano*, quod ipse *Montanus* se non Paracletum dixerit, sed insignem saltem Paracleti Prophetam.

§. VI. Quæritur etiam, an in seculo III. *Origenes* fuerit Pneumatomachus, quoniam a *Basilio Arianorum* Promachus vocatur, *lib de Sp. S. c. 30.* Ipse *Petauius*, doctissimus Iesuita, *dogmatum Theol. L. 1. c. 14. §. 8.* scribit: Primus, quod quidem constat, Spiritus sancti dignitatem aperte violare ausus *Origenes*. Cui adstipulatur Cardinalis *Henricus de Noris diff. de Synod. V. c. 11. f. 16. seq.* sed accusat eum *Huetius in Origenianis Lib. II. quest. 2.*

Thesis II.

*Hostes plures Spiritus sancti seculo
IV. V. VIII. reperiuntur.*

§. I. In seculo IV. *Arius* non Filium Dei tantum impugnavit, sed & Spiritum sanctum creaturam creaturæ & improprium Deum vocavit. Vid. *Augustin. in libell. de heres. c. 49.* Propriam Spiritus sancti hypostasim *Photinus* negavit.

§. II. Doctrinam de Spiritu sancto *Macedonius* circa annum CCCXL. adgressus est, diuinitatem ipsius negans. Fuit *Macedonius* Episcopus Constantinopolitanus, successor *Alexandri* illius, qui se primus opposuit *Ario*, homo natus ad turbationem, sola crudelitate nobilis,

bilis. Dissidentēs enim a se non fraternis & placidis admonitionibus in viam reducere studebat, nec disputando vincebat; sed impetratis ab Imperatore militum copiis, non ex dialecticorum locis, sed ex carnificum officinis, sicut inquit *Hieronymus*, soluebat argumenta. In *tripartita historia lib. V. c. 31.* scribitur: *Cum homines ab eius communione se subtraherent ac nolent ex ipsius manibus eucharistiam accipere, ligno eorum ora aperiens per violentiam illis dedit sacramentum. Tali cum esset ingenio, ratus se per novas turbas magnum aliquem futurum, mouit quæstiones de Spiritus sancti personalitate & diuinitate.* Prætextum primo quæsiuit in Symbolo Nic. quod non manifeste Spiritum sanctum dixerit *Domini- num & Deum*, sicut Patrem & Filium, sed indeterminate tantum de Spiritu sancto adiecerit, *& in Spiritum sanctum.* Et verum est, quæ hodie addita sunt, ista non symbolo Niceno, sed Constantinopolitano debemus. Ostenderunt vero *Basilus, Nazianzenus & Epiphanius*, subesse huic prætextui fallaciam causæ. Omissa enim sunt verba, non quia in concilio Spiritus sancti Diuinitas negata fuit, sed quia magis tunc controuersia de Filio Dei mota & ventilata fuit.

§. III. Dein omnibus locis abusus est, quibus nomen Spiritus pro donis ac motibus ponitur, & ita fallacia æquiuationis Ecclesiæ imposuit, vnde monente *Chemnitio in Loc. Theol. c. 4.* caute distinguenda sunt dicta Scripturæ, in quibus vocabulum Spiritus pro persona Spiritus sancti & in quibus pro motibus Spiritus sancti ponitur.

§. IV. *Bellarminus* in habita oratione Romæ anno *M D LXXVI* suis de controuersis fidei disputationibus præ-

præmissa, *Primis*, ait, *ducentis annis diabolus labefactavit articulum primum Symboli Apostolici. Valentiniani enim per æones, & Manichæi per duplicem Deum unitatem Dei impugnabant. Post annum vero CCC per Arium, Nestorium, Eutychen secundus articulus de Christo exagitatus est: Seculo autem nono tertius articulus magno impetu per schisma Græcorum ob negatam Spiritus sancti processionem vim passus est. Addit: Tametsi enim Macedonius multo ante Spiritum sanctum oppugnauit, non tamen nisi leuiter hunc articulum tentasse videtur.*

§. V. In quibus postremis verbis sane ἀθεολόγως adfirmat, Satanam articulum de Spiritu sancto per *Macedonium* leuiter tentasse. Annon enim error Macedonii fundamentalis fuit? annon hæresis illa Ecclesiæ multum negotii fecit?

§. VI. Ex hoc *Macedonio* propullularunt *Aetiani*, *Eunomiani* & *Macedoniani*, qui Spiritum sanctum finxerunt præstantiorem saltem esse Angelis. Nihil autem fecerunt Patres, sed per XL annos hic error exercuit Ecclesiam, vsque dum Synodum Constantinopolitanam œcumenicam Theodosius M. indixit, in qua *Macedonii* & *Macedonianorum* hæresis ex Scriptura condemnata & Spiritui sancto suus honos restitutus fuit. Et in hac synodo opera *Gregorii Nysseni*, auctoritate tamen publica propter hæresin Macedonianam symbolo Niceno addita sunt verba: *Et in Spiritum sanctum viuificantem.* Conf. de hoc Concilio œcumenico II. *Beueregii synodicon* T. I. p. 88. & *Labbei Tomos Conciliorum.*

§. VII. In quinto seculo doctrinam de Spiritu sancto *Theodoretus* & seculo octauo *Græci* turbarunt. Seculo septimo *Mubamedani* Mahometem Paracletum vocarunt,

runt, conquerentes locum *Ioan. XV, 26.* esse corruptum & loco Paracleti περιελυτοῦ ponendum, id est, inclytus, quod denotat Achmed. Conf. *Sandii paradoxa evangelica in Ioan. XV.*

Thesis III.

Nostro hoc seculo errant in Articulo de Spiritu sancto Sociniani, Quakeri, Neo Ariani.

§. 1. *Sociniani* toti sunt in peruertenda doctrina de Spiritu sancto & Spiritum sanctum nec proprie Deum nec creaturam esse docent, sed vim quandam & efficaciam Dei. Fatetur hoc *Smalcus in disp. I. contra Franzium: Certo certius, inquit, constat Spiritum sanctum non esse personam diuinam.* Credunt igitur in Spiritum sanctum, non vt personam diuinam & summum Deum, sed vt virtutem Dei, qua homines sanctificat. *Schligting contra Meisnerum de Trinitate p. 665. Spiritus sanctus non est persona illa diuina seu summus Deus. Vid. Catech. Racou. c. 1. quæst. 33. Crellius in Tractatu de Spiritu sancto f. 141. Animaduertendum est, inquit, duplici ratione considerari Spiritum sanctum, vel quatenus aliquid est Dei & in ipso residet, aut ab eo proficiscitur, vel quatenus in homine residet, & sic ex diuina benignitate aliquid est hominis. Est igitur Spiritus ille qualitas quedam intermedia inter virtutem Dei & facultates in homine excitatas. Ostorodus in instit. Germ. c. 4. n. 4. Es ist offenbar / was wir (Socinianer) von dem heiligen Geist halten / nemlich daß er keine Person sey / welche von dem einigen warhafftigen Gott / dessen Geist er ist / unterschieden*

den

den ist / sondern nur allem seine Krafft / wiewohl nicht ei-
ne iegliche / sondern nur die welche auff einerley Weise
heilig macht.

§. II. *Neo Arianorum* antesignanus est *Sandius*,
qui per Spiritum sanctum genus angelorum intelligit.
Vid. c. IV. tb. 5. *nostrae disp.*

§. III. *Quakeri* personalitatem Spiritus sancti in-
ficiantur. Vid. B. Dn. D. *Baieri collationem Quakerorum.*
tb. 3. c. 4. William Catton in der Beschirmung. p. 7.
Wir wissen / daß der heilige Geist einer ist von den
Dreyen die da zeugen / aber du magst entweder aus
der Schrift beweisen / daß der heilige Geist eine Per-
son genennet wird / oder deinen Irthum selbst be-
kennen. DNN. Theologi Hamburgenses testantur, quod
Quakeri in colloquio cum ipsis habito coram dixerint:
der heilige Geist sey nicht eine selbständige Person / son-
dern er sey Christus selbst. *Rob. Barclaius* autem, quamvis
multa de Spiritu sancto proferat in scriptis suis, in *Apo-*
logia & Catechesi, similiter *William Scheven in Glauben*
und Erfahrungheit / nusquam tamen personam dixit, imo
negatiuam aperte profitetur in *der Rettung der War-*
heit / doctrinam de tribus personis traditionem hominum
vanam vocans, vbi sane non agitur de nomine tantum, sed
& de ipsa simul re.

CAPVT IV.

Didacticopolemicum, de vsu & ab-
usu textus.

Thesis I.

Abusus huius dicti & vsus adcurate
est notandus: Abutuntur autem

E

boc

hoc dicto Macedoniani, Sociniani, Arminiani.

§. I. Abutuntur hoc dicto primum *Macedoniani*, ut docet *Augustinus l. 1. contra Max.* Secundo *Sociniani* & *Arminiani*, qui ut probent Spiritum sanctum esse minorem Patre, argumentantur: Quicumque gemit & intercedit, is non est summus Deus. Atqui Spiritus sanctus gemit & intercedit. Ergo.

§. II. Hinc *Episcopus Institut. Theol. lib. 4. sect. II. c. 32.* Certum est, ait, ex *Scripturis*, personis his tribus diuinitatem tribui, non collateraliter aut coordinate, sed subordinate. Per hanc subordinationem putat Patri suam gloriam sartam tectamque conseruari. Sequitur hunc *Limborchius in Theol. Christiana p. 107.* inquiens: Est quedam supereminentia Patris respectu Filii, & Patris ac Filii respectu Spiritus sancti ratione dignitatis & potestatis. Conf. *Curcellaus in quaternione dissertationum diff. I. §. 72.*

§. III. Addunt *Arminiani* Patrum testimonia, qui Spiritum sanctum minorem statuerunt, ut *Clementis Rom. in libris recognitionum* dicentis: *Pater est instar Episcopi, Filius instar Diaconi, Spiritus sanctus instar Diaconisse.* Sed optime *Dallaus de usu Patrum* ait: *Patres sunt lumina non numina ecclesie.* Consensus ipsorum est magnificandus, sed non absolute necessarius, quia caruit eo ecclesia ante scripta Patrum. Pleraque a Patribus raptim scripta, ex concursu variarum occasionum nata, non diu excocta. Nonnunquam vnus oscitantia plures oscitantes fecit. Porro vix quisquam est inter Patres, qui non errauit. Respondemus verbis *Hieronimi in Apologia aduersus Ruffi-*

Ruffi-

Ruffinum, qui ipse Pater fuit : *Fieri potest, ut Patres vel simpliciter errauerint, vel alio sensu scripserint, vel a librariis imperitis eorum paulatim scripta corrupta sint, vel certe antequam in Alexandria demonium meridianum Arius nasceretur, innocenter quædam aut minus caute loquuti sint, quæ non possunt peruersorum hominum calumniam declinare.* Fatentur sane Theologi nostri, ut *Hunnius* & cum eo *Danhauerus* in *Hodos.* p. 271. *Patrem primam personam esse ratione ordinis & originis, non tamen ratione temporis, essentia & dignitatis. Tribuitur Patri principatus originis respectu cæterarum personarum, & Filio respectu Spiritus sancti, quatenus considerantur in suis proprietatibus personalibus, quatenus vero considerantur ratione essentia & natura, maiestatis & potentia, nulla heic prorsus differentia, nulla se offert inæqualitas.*

§. IV. Ad supra prolatum argumentum respondeamus negando maiorem, quæ erat hæc : *Quicumque gemit & intercedit, is non est summus Deus.* Non omnis intercessio fit ab inferiore. Ita Imperator apud Electorem pro Ministro, Princeps apud Comitem pro tertio quodam, Consul apud ciuem quendam pro alio intercedere potest. Nimirum ab intercessione humilitatis ad intercessionem auctoritatis non valet consequentia. Non est intercessio deprecatoria flexis genibus, sed Spiritum sanctum decens ac auctoritatiua intercessio. Gemit non vulgariter, sed magna cum auctoritate, hinc vocatur superexpostulatio auctoritatiua in consortio Trinitatis. Non est intercessio inferioris ad superiorem, sed æqualis ad æqualem.

§. V. *Quicumque ita intercedit, ut simul vnum sit essentialiter cum Patre & Filio, is non est minor, sed æqualis Patri & Filio.* Atqui Spiritus sanctus *1. Ioan. V, 7.* *Etsi*

vero hoc dictum in Alexandrino, Parisiensi, Romano aliisque codicibus omittatur, qui vel per librarium negligentiam vel per hæreticam depravationem hoc loco priuantur, reperitur tamen in codice Britannico, Erasmi, septem Rob. Stephani, Complutensi &c. qui ob admirandam Dei prouidentiam corrumpi non potuerunt. Sufficit, quod *Cyprianus lib. de unitate ecclesie* illustre de eo testimonium *seculo III.* adeoque ante Arianos præbeat: *Dicit Dominus: Ego & Pater unum sumus, & iterum de Patre, Filio & Spiritu sancto scriptum est, & hi tres unum sunt.* Adde *Hieronimi Prologum in epistolas Can.* quem contra *Richardum Simonium* fuse vindicauimus in tractatu nostro de *1. Ioan. V, 7.*

Thesis II.

Vtuntur hoc dicto Lutherani ad existentiam Spiritus sancti demonstrandam.

§. I. Negasse quidem videntur existentiam Spiritus sancti discipuli Ioannis, quoniam fatentur, *se nunquam audiuisse, an Spiritus sanctus existat. Act. XIX, 2.* Verum hi ipsi non ignorabant personam Spiritus sancti, sed dona Spiritus sancti miraculosa. Ioannes enim de Christo dixerat, eum esse baptizaturum Spiritu sancto *Conf. Ioan. I, 32. c. III, 3.* Ignorabant Spiritum sanctum dari *miraculose effundendum*, ignorabant an Spiritus sanctus restitutus sit, quem Doctores in Talmude post mortem Malachiae & Zachariae ab Israele discessisse statuunt. Baptizati ergo sunt baptismo flaminis, non fluminis,
non

non per aquæ effusionem, sed per manus impositionem.
Vid. *Lightfoot in Act.*

Thesis III.

*Spiritus sanctus est persona
diuina.*

§. I. Cuicumque tribuuntur actiones personales, ille est persona. Atqui Spiritui sancto in textu tribuuntur. Ergo. Tribuitur enim illi vera intercessio. Probamus, Spiritum sanctum esse personam cum *B. Dorscheo in Theologia Zachariana* (1) quia Spiritus sanctus dicitur ἐντυγχάνειν, hæc autem NB. actio personæ adscribitur *Act. XXV, 24. Rom. XI, 2. VIII, 34. Ebr. VII, 25.* (2) quia συναντιλαμβάνειν statim ante nostrum textum etiam est personalis actio. *Luc. X, 40.* vti & ἀντιλαμβάνειν *Luc. I, 54. Act. XX, 31. 1. Tim. VI, 2.* Habent sese oppositæ ὑπερεντυγχάνειν & κατεντυγχάνειν. Nam κατεντυγχάνω est κατά τινος ἐντυγχάνω; ὑπερεντυγχάνω autem ὑπέρ τινος. Est igitur κατεντυγχάνω conuenio & compello aliquem contra alium, vt cum quis principem aliquem conuenit & accusat eum super negotio alterius, quæ actio procul dubio proprie & communiter est personalis actio.

§. II. Speciose autem heic *Sociniani* excipiunt, non valere consequentiam, quod is statim sit persona, cui personales actiones tribuuntur, eo quod Scriptura per prosopopœiam aliis rebus personales actiones tribuat, vt: *ventus flat, ubi vult Ioan. III, 8. amor omnia sperat, omnia perfert 1. Cor. XIII, 7.* imo hoc ipso capite *VIII. Rom.* in quo textus noster habetur, creaturæ per prosopopœiam introducuntur. Pulchre *B. Scherzerus in Collegio AntiSociniano p. 229.* Non valet consequentia: In

Scriptura prosopopœia occurrit. Ergo etiam in dictis, que de Spiritu sancto agunt. Amorem improprie sperare, quia abstractum ponitur pro concreto, per se constat. Vento voluntatem improprie tribui res ipsa satis aperte docet. De Spiritu sancto aliter contentus totius Scripturæ loquitur. Monstrent aduersarii, ubi dicitur, ventus intercedit, ventus distribuit dona sicut vult, ventus est aduocatus noster, ventus exacerbatur, speciem columbæ adsumpsit, inepte diceres, ventus scrutatur profunditates Dei, ventus dicenda suggerit, audit, loquitur, mundum elencho conuincit. Deinde Spiritus sanctus vt ἄλλος a Patre & Filio *Ioan. XIV, 16.* intercedit, quod vento aut amori non competit. Quicumque est ἄλλος, is est persona. Atqui Spiritus sanctus &c. Ergo. (Virtus enim Dei, vt loquuntur de Spiritu sancto *Sociniani*, non est ἄλλη a Deo, sed ταυτὸ essentialiter idem.)

§. 3. Spiritum sanctum personam esse, quæ proprie subsistit, docet *Aug. Conf. Art. I.* & in Antithesi contra *Samosatenos.* In *Symbolo Niceno & Athanasiano* idem docetur. Sane non *Satanasium* Symbolum est *Athanasianum*, vt ab *Arminianis* vocatur, sed vere ἀθανάσιον, hoc est immortale, tot seculis validum & inconcussum.

§. IV. Nimis sapiunt, qui putant, vocabulum personæ esse ἀγραφοῦν & ἀντίγραφοῦν cum *Curcellæo.* Potius *Curcellæi* error est ἀγραφος, ἀντίγραφος. Terminus hic est ἀγραφος tantum quoad vocem, non quoad sensum vocis. Nec ideo articulus de Spiritu sancto ad rationis principia reuocatur. Aliud enim est doctrinam sacram terminis ecclesiasticis exprimere, aliud per modum conclusionis

clusionis e ratione probare. Ambiguitas non tam voci, quam hæreticis varios sensus adfingentibus est imputanda. Multa vocabula non sunt in Scriptura expressa, quæ tamen nulla ratione prohibentur. Ita *Chemnitius* *Loco de tribus personis diuinitatis capite II. Ecclesia*, inquit, non modo Latina, sed & Græca, non aliqua petulanti nouitatis adfectione, sed quadam necessitate loquendi propter errores & insidias hæreticorum hæc vocabula admisit. Non ignorarunt maiores nostri vocabulum personæ esse ἀρχαῖον. Maluit quidem Ecclesia simplicitate sermonis uti: Quum autem hæretici loquerentur cum Scriptura, & tamen diuersum sentirent, omniaque verba Scripturæ sacræ canonicæ subdole eluderent, necessario quærenda fuerunt talia vocabula, quibus res de hoc articulo in Scriptura traditæ exprimerentur ita ut hæretici ea non possent insidiosa interpretatione eludere. Idque hac potissimum de causa, ut esset certa ὑποτύπωσις sanorum verborum, secundum quam simplices possent vocem veri pastoris a voce lupi simulantis vocem ouium discernere. Videatur *ibidem* pluribus.

Thesis IV.

Spiritus sanctus vnus est, contra Biddellium & Sandium.

§. I. Paradoxam opinionem de voce Spiritus sancti fouet *Sandius* in *problemate de Spiritu sancto*, quo disquiritur, annon per illum sanctorum angelorum genus possit intelligi. Dolemus vero ita in neruum erupisse prurientis ingenii petulantiam, ut post peccata in *Filium Dei*, peculiari libello in Spiritum sanctum peccare non

non

non sit veritus. Inprimis in textu nostro numerum singularem pro plurali, Spiritum sanctum pro Spiritibus sanctis positum autumat per enallagen numeri. Etsi autem enallage numeri quandoque locum habeat, tamen ab his verbis Spiritus sancti alienissima est ob perpetuam Scripturæ harmoniam, quæ passim de Spiritu sancto agens, semper in singulari numero de eo loquitur. Illa enim enallage non vbiuis explicari potest.

§. II. Addimus testimonium *Pauli: Per unum Spiritum omnes in unum corpus sumus baptizati 2. Cor. X, 13. Unus est Spiritus Eph. IV, 4.* Si angeli sunt Spiritus sanctus, non tres sunt, sed innumeri, qui testantur in cœlo. *Locus Sap. VII, 22.* multos effectus Spiritus sancti, non multos Spiritus sanctos enumerat. *Dicis: Cuicumque adaptantur allegoriæ pluralis numeri, illud non est vnicum indiuiduum, sed plura. Atqui Spiritui sancto &c. Ergo. Minor probatur ex Ioan. VII, 38. Fluvii, hoc est, Spiritus sancti fluent e ventre eius.* Respondemus: Fluvii isti non sunt persona Spiritus sancti sed dona tum administrantia tum sanctificantia. *Apoc. I, 7.* non septem Spiritus sancti, sed septem effectus Spiritus sancti indigitantur. Theologia symbolica non est argumentatiua. Imo repugnat hoc dictum *Sandio*, quia sic sequeretur, per Spiritum sanctum tantum septem angelos, non omnes angelos indicari. *Vid. Schomeri tractatum de Spiritu sancto contra Sandium.* *Dicis: Angeli sunt Spiritus, sunt etiam sancti.* Respondetur: A communione nominis ad identitatem rei non valet consequentia.

Thesis IV.

Thesis V.

*Pudeat Christianos ad sanctos con-
fugere, quia duplici intercesso-
re Christo & Spiritu sancto gau-
dent.*

§. I. Primo, quia multi sancti sunt ficti, vt Longi-
nus, Christophorus, vel si reuera exstiterunt, multis men-
daciis eorum historia est referta. Vid. *Melch. Canum Loc.
Theol. I. XI. p. 658.* Porro inuocatio iniuria est Deo, quasi
sancti promptiores essent Deo ad succurrendum. Dicis:
Nos sumus indigni, vt recta ad Deum accedamus. Re-
spondetur: Deus vult, vt directe ad eum veniamus *Psal.
L, 15.* adeoque simile de aulis principum est dissimile.
Possumus quidem promissiones sanctis factas in precibus
allegare vt *1. Reg. XV, 4.* sed non merita sanctorum.

§. II. Tertio iniuria est intercessio sanctorum Chri-
sto & Spiritui sancto, siue sancti considerentur vt interces-
sores collaterales, siue vt subordinati. Si vt collaterales,
iniuria est manifesta: Si vt subordinati, non minus iniu-
ria est manifesta, quia sancti magis censentur erga nos
propensi, quam Christus & Spiritus sanctus. Cultus *δσλει-
αε*, quem alias Pontificii sanctis adscribunt, ipsi Deo tri-
buitur a septuaginta *1. Sam. VII, 3. Psalm. II, 11.* & *λατρεΐειν*,
quod alias Deo soli adscribunt, tribuitur etiam homini-
bus *Deut. XXVIII, 48.*

§. III. Vana est distinctio inter aduocatum præci-
puum & aduocatum per participationem, inter mediato-
rem

F

rem

rem redemptionis & intercessionis , quia vnus tantum est mediator *1. Tim. II, 5.* Christus dicit , *venite ad me omnes Matth. XI, 28.* In genere sanctos pro relictis fratribus intercedere , non negat *Augustana Confessio* ob *Apoc. VI, 10.* sed pro peculiaribus necessitatibus singulorum intercedere nec credit nec docet. Vid. *Hulsemanni subtilissimi Manuale Aug. Confess.* De speculo autem Trinitatis & explicatione per angelos aut animas recenter mortuorum nil ex Scriptura constat. Vid. *Dallaum de obiecto religiosi cultus.*

§. IV. Dura est phrasis *Irenæi* , Mariam esse *παράκλητον* seu aduocatam Eux , quod tamen non ratione intercessionis , sed ratione consolationis intelligendum est , ob fidem in semen mulieris , quia peperit illum , qui Eux aduocatus fuit. Patrum stylus plerumque est declamatorius , hyperbolicus , rhetoricus.

§. V. Nihil valet auctoritas Mariæ apud Filium , quia subiectio , quam Filius matri præstitit , ad statum exinanitionis pertinet. Duris verbis illam reiecit Christus , cum intempestiua aduocata hominum esse vellet *Ioan. II, 3.* Eleganter *Scherzerus* in quodam libro totam religionem Papæam *muliebrem* vocat.

Thesis VI.

*Preces non sunt opus humanum,
sed Spiritus sancti. Nostræ preces
sunt infirmæ, nisi Spiritus sanctus*

Etus

*Etus concurrat & pondus addat,
contra Pelagianos liberum ar-
bitrium extollentes.*

§. I. Quia nos nescimus, quid petamus, nisi Spiritus sanctus superintercederet, hinc *Spiritus precum* dicitur *Zach. XII, 10. Nemo potest Christum vocare Dominum absque Spiritu sancto 1. Cor. XII, 3. Omnes homines, imo etiam regeniti, sunt carnales, venundati sub peccatum Rom. VII, 14. adeoque per se incapaces. Quæ verba non de Paulo irrogenito cum Episcopo, Grotio, Rob. Barclaiis, sed de Paulo regenito cum orthodoxis sunt accipienda. Illustris est locus Augustini Tomo VII. lib. VI. contra Iulianum Pelagianum c. XI. qui primum de Paulo irrogenito, postea de regenito hos Pauli gemitus & suspiria interpretatus est. Non ego solus aut primus sic istum locum intellexi, quo euertitur heresis vestra, quemadmodum vere intelligendus est: imo vero ego prius eum aliter intellexeram, vel potius non intellexeram, quod mea quedam illius temporis etiam scripta testantur. Non mihi enim videbatur Apostolus & de se ipso dicere potuisse: ego autem carnalis sum, cum esset spiritualis, & quod captiuus duceretur sub lege peccati, que in membris erat eius. Ego enim putabam dici ista non posse, nisi de iis, quos ita haberet carnis concupiscentia subiugatos, ut facerent, quidquid illa compelleret, quod de Apostolo dementis est credere: cum etiam innumera-bilis multitudo sanctorum, ne concupiscentias carnis perficiat, contra carnem spiritu concupiscat. Sed postea melioribus & intelligentioribus cessi, vel potius ipsi quod*

F 2

faten-

fatendum est veritati, ut viderem in illis Apostoli vocibus gemitum esse sanctorum, contra carnales concupiscentias dimicantium. Qui cum mente sint spirituales, adhuc tamen isto corruptibili corpore, quod adgrauat animam, recte intelliguntur esse carnales, quia erunt & corpore spirituales, quando seminatum fuerit corpus animale, & resurget corpus spiritale. Et recte adhuc intelliguntur ea parte captiui sub lege peccati, qua desideriorum, quibus non consentiunt, motibus subiaceret. Hinc factum est, ut sic ista intelligerem, quemadmodum intellexit Hilarius, Gregorius, Ambrosius, & ceteri Ecclesie sancti notique Doctores, qui & ipsum Apostolum aduersus carnales concupiscentias, quas habere nolebat, & tamen habebat, strenue conflixisse, eundemque conflictum suum illis suis verbis contestatum fuisse senserunt.

Thesis VII.

Intercessio Spiritus sancti solatii est plenissima.

§. I. O ergo nos terque quaterque beatos, qui non tantum Θεῶν πνεύματι, sed & Deum Spiritum sanctum aduocatum habemus, causas nostras fideliter agentem. Quando obmutescimus in mortis agone, tunc interpellat pro nobis Spiritus sanctus. Esto, nos esse mutos, non tamen obmutescit noster paracletus, sed diabolus obmutescere cogitur.

§. II. Atque sic abrumpamus filum exiguae huius dissertationis. Cur enim amplius enarremus Spiritus sancti gemitus, quos scimus esse inenarrabiles. Erunt autem enarrabiles, quando veniet vitae nostrae

F I N I S.



Sunt *gemitus*, KETTNERE, TUÆ
mensura Camœnæ,
Quos cui non fundit *Spiri-*
tus, ille gemit.

Gaudia fert vox mœsta TIBI suspi-
ria plausum;
Nec, nisi fausta DEI signa ge-
mentis habes.

Gratul. scribeb.

Plur. Rever. & Clariss. Dn. Doctorandø,
Amico honoratissimo,

FRIDEM. BECHMANN, D.P.P.

F*Laminis æterni gemitus cum laude tueris,*
Hi Tibi præsidio, Fautor amice, sient.
Ignea tela trucis vibret nequitia mundi!
Non gemuisse potes, cum Deus ipse gemit.

Novis, iisque meritisimis, honoribus
PRISCVM FELICITER adclamat

VALENTINVS Belthem / D. P. P.

Quem

Quem genuit *Stolberga*; aluit clarissimus
Anna
Mons, fovit prudens *Lipsia*; laudat, amat
Augusti præcella *Domus*; posuitque vocatque
Eckartsberga; vetat *Musa Salana* mori.

Maxime reverendo Dom. Doctorando,
Fautori & Amico honoratissimo pri-
scum FELICITER acclamaturus

f.

Joh. Philippus Treuner,
S. Theol. Doctor.

Felix quæ veterem mihi conciliarvit amicum
Et pridem avulsum junxit amica dies.
Letitia major causa est, quod premia digna
Quæ Tibi debebat *Lipsia*, *Fena* dabit.
Nunc cantare meum est & letum fingere carmen:
Væ mihi, quod me non *Castalis* unda rigat.
Ex animo toto meritos Tibi grator honores,
Ut sitiant *Musæ*, nec tamen aret amor.

scr:

M. Jo. Benedictus Carpzov,
Lipsiensis.

Desine

DEsine frondosis resonans lusci-
nia sylvis,
Non ultra est vocis gratia gra-
ta tuæ.

Dulcius ingeminat gemitus spirabi-
le Numen,
Delitias animæ Diva columba
gemit.

Non aures hominum, non vanas ver-
berat auras,
Delitias Fovæ Diva columba
gemit.

Dic gemitus, **KETTNERE**, Dei
suspiria narra,
Pro gemitu plausus alma Sa-
lana dabit.

L. M. Q. scrib.

M. Joannes Julius Struve/
Magdeb. Saxo.

[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

M. Johannes Julius G...
M. J. G.